
EMINENTISS. AC REVERENDISS. D.

D. ÆGIDII ALBORNOTII

S. R. E. CARDINALIS

Totius Italiæ Legati, Archiepiſcopi Toletani, ac Collegij Maioris Hiſpanorum Bononiæ fundati Inſtitutoris

TESTAMENTVM.



BONONIÆ MDCLXIII.

Typis Iacobi Montij. Superiorum permiſſu.

IN DEI NOMINE Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem Millemo tercenteſimo ſexageſimo quarto. Indictione ſecunda, die verò vigeſimanona menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſsimi Patris, & Domini N. D. Vrbani diuina prouidentia, ac clementia Papæ V. Anno ſecundo, præſentibus me Notario, & Teſtibus infraſcriptis ad hoc vocatis ſpecialiter, & rogatis. Reuerendiſs. in Chriſto Pater, & Dominus D. Aegidius miſeratione Diuina Epiſcopus Sabinen. Sanctæq; Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, ſanus mente, & corpore, habens licentiam teſtandi, ordinandi, & diſponendi liberè de omnibus bonis ad eum pertinentibus cuiſucunq; quantitatis, ſeu valoris fuerint, à Fel. Recor. D. Innocentio Papa VII. prout in literis Apoſtolicis ipſius Dom. Papæ vera integra Bulla plumbea eiuſdem more auct. bullat. continentur. Quarum quidem literarum Apoſtolicarum tenor talis eſt.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei. Venerabili Fratri Ægidio Epiſ. Sabinen. Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum nihil ſit quod magis hominibus debeatur, quàm vt ſupremæ voluntatis liber ſit ſtilus, & liberũ, quod iterum non reddit arbitrium. Nos tuis ſupplicationibus inclinati, teſtandi, ordinandi, & diſponendi liberè de omnibus bonis ad te pertinentibus cuiuſcunq; quantitatis, ſeu valoris fuerint, etiam ſi illa ex prouentibus Eccleſiaſticis, ſeu Eccleſijs tibi commiſsis, vel alias perſonæ tuæ, vel tui Cardinalatus intuitu, ratione, aut contemplatione ad te peruenerunt, & peruenerint in futurum, plenam, & liberam tibi licentiam tenore præſentium elargimur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginàm noſtræ conceſſionis infringere, vel auſu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Auinion. 11. Kalen. Octobris Pont. Noſtri Anno VI. De bonis ſuis prædictis pro ſua parentum, & benefactorum ſuorum animabus Teſtamentum ſuum, ſeu vltimam voluntatem ſuam huiuſmodi fecit, condidit, ac etiam ordinauit in hunc modum.

Ego Ægidius miſeratione diuina Epiſ. Sabinen. Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſanctæq; Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Conſiderans, & attendens quod nil certius morte, nihilq; incertius hora mortis, deſiderans ad diem peregrinationis meæ, extrema diſpoſitione teſtamentaria peruenire, de bonis meis prædictis pro mea parentum, & benefactorum meorum animabus Teſtamentum meum, ſeu meam vltimam voluntatem huiuſmodi facio, condo, & etiam ordino in hunc modum.

In primis fidem catholicam, quam ſancta Romana Eccleſia tenet, docet, & prædicat, firmiter credo, & ſimpliciter confiteor, & in ipſa fide mori volo, & ſaluari, & quando me de præſenti ſæculo migrari contigerit, animam meam ſanctæ, & indiuiduæ Trinitati,Glorioſæ Beatæ Mariæ ſemper Virgini, beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, & Beato Clementi Martyri, totiq; curiæ cœleſti commendo.

Item diſpono, & ordino, quod funeralia mea ſiue exequiæ fiant in Eccleſia Beati Franciſci confeſſoris Ordinis minorum fratrum, Ciuitatis, terræ, ſeu loci in quo me mori contigerit, & ſi fortè in Ciuitate, Terra, ſeu loco vbi me mori contigerit, talis Eccleſia Beati Franciſci confeſſoris non fuerit, volo, & ordino, quod funeralia mea fiant in ſolemniori Eccleſia ipſius Ciuitatis, terræ, ſeu loci, in quo me viam carnis ingredi contigerit vniuerſę.

Item volo, diſpono, & ordino, quod ſi contingat me mori in Italia, corpus meum ſepeliatur in Eccleſia Beati Franciſci de Aſſiſio, ſub depoſito, & commenda, itaquod quandocunquè contigerit ceſſare indignationem iſtius, vel alterius Regis Caſtellæ contra illos de genere meo, oſſa mea portentur ad Eccleſiam Toletanam, & ſepeliantur in Capella Beati Ildephonſi confeſſoris, in medio coram Altari eiuſdem Beati Ildephonſi, & fiat ibi Tumulus, iuxta decentiam ſtatus mei, & hoc intelligo ſi in vita Reuer. Patris D. Lupi Archiepiſcopi Cæſarauguſtani, vel alicuius ex fratribus meis, videlicet nobilium virorũ Dominorum Aluari Garſiæ, vel Fernandi Gometij Cõmendatoris Montis Albani, ſeu Gometij Garſiæ, nepotis mei nati prædicti Domini Aluari Garſię, fieri cõmodè poſſit, aliàs ex tunc volo, quod oſſa mea nõ transferãtur de dicto Monaſterio Sãcti Franciſci de Capella, in qua ſepulta fuerint, ſed ibi requieſcant abſq; translatione quacunque.

Itẽ diſpono, & ordino, quod quamcitiùs fieri poterit, poſt mor-

tem

tem meam celebrentur pro remedio animæ meæ quinquaginta millia Missarum, videlicet, trigintaquinque millia in Italia, de quibus decem millia celebrentur per Fratres Minores Conuentus Assisij, & aliorum Conuentuum Ducatus Spoletani, iuxta ordinationem, & distributionem fiendam per venerabiles Dominos Alphonsum Firman. & Nucerin. Episcopos: viginti millia verò celebrentur per Fratres Prædicatores, Minores, & Heremitas Sancti Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in Prouincijs Marchiæ Anconitanæ, & Romandiolæ, iuxta ordinationem, & distributionē fiendam per venerabiles Patres Dominos Henricum de Sexa Brixien. & prædictum Alphonsum Firman. Episcopos, & Fernandum Aluari Abbatem Vallisoletti, & Alphonsum Fernandi Thesaurarium Toletanum Camerarium meum. Quinq; millia verò celebrentur in Ciuitate Bononiæ, de quibus tria millia volo celebrari per religiosos ordinum Mendicantium, & duo millia per presbyteros sæculares iuxta ordinationem, & præstationem Religiosi viri Fratris Thomasini Ministri Ordinis Sancti Francisci in prouincijs Bononiæ, & Romandiolæ, & prædictorum Fernandi Aluari Abbatis Vallisoletti, et Alphonsi Fernandi Thesaurarij.

De alijs verò quindecim millia missis, decem millia celebrentur Auinione, secundum ordinationem, & distributionem Reuerēdissimorum Patrum Dominorum meorū, DD. Nicolai Episcopi Thusculani, Petri Apostolicæ Sedis Vicecancellarij tunc Sanctæ Anastasiæ Presbyteri, & Petri S. Mariæ nouæ Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. Tria millia verò celebrentur per Religiosos Conuentuum Mendicantium Ciuitatis, & Diœc. Cæsaraugustanæ iuxta ordinationem prædicti D. Archiepis. Cæsaraug. duo millia autem celebrentur per religiosos Mendicantes, & clericos seculares Ciuitatis, & diœcesis Conchen. iuxta ordinationem, & distributionem venerabilis Patris Domini Bernardi Episcopi, & Martini Fernandi Decani, & Capituli Ecclesiæ Conchen.

Item lego pro centum Puellis maritandis in Diœc. Toletana & Conchensi cuilibet tercentos Marapetinos monetæ illarum partium nunc currentis.

Item lego pro redimendis Christianis captiuis in terra Sarracenorum triginta millia Marapetinos monetæ regni Castellæ nunc currentis.

 Item

Item cum ego statuerim sex capellanias perpetuas in Ecclesia Toletana, sintq; solum quatuor dotatæ. Lego Capitulo dictę Ecclesię Toletanę, trigĩtamillia Marapetinos dictę monetę pro alijs duabus dotandis, itaquod ipsi incorporent eas cum bonis mensæ suæ iuxta conditionem, & ordinationem aliarum quatuor.

Item lego Capitulo Conchen. Ecclesiæ molẽdina ad farinam, & rapos, quæ ego habeo in fluuio, qui vocatur Xucar propè Ciuitatem Conchen. quæ alias fuerunt Michaelis Sanctij, cum soto, & omnibus pertinentijs suis, sicut ego emi.

Item lego eidem Capitulo Conchen. omne possessiones, quas ego emi propè Ciuitatem Conchen. quæ vocantur la Dehesa ab Hendibo, à Ioanne Sanctio de la Roquilla, & Ioanne Martino filio Petri Martini Macellari Conchensis, & volo, & rogo, Decanum, & Capitulum quod ipsi instituant duas capellanias perpetuas iuxta conditionem aliarum capellaniarum institutarum per patrem, & matrem meos, & me: & capellani debeant celebrare in capella, vbi parentes mei sunt sepulti, pro remedio animarum suarum, & meæ.

Item lego pro anima mea eidem capellæ vnum calicem argenteum deauratum ponderis trium marcharum, & paruam Crucem, quæ est in capella mea.

Item duas casulas, vnam albam, & aliam rubeam de iaspide cum albis amictis, stolis, manipulis, & cingulis.

Item lego eidem Ecclesiæ Conchen. caput argenteum cum reliquijs Beati Blasij ponderis quadraginta octo marcarum.

Item pluuiale meum preciosum de opere Anglicano, volo tamen, quod dicti Decanus, & capitulum nunquam possint illa alienare, vendere, seu impignorare, sed quod perpetuò reseruentur in sacristia cum alijs iocalibus, & reliquijs Ecclesiæ, nec ad aliquem vsum inde extrahantur, nisi infrascriptis festiuitatibus, videlicet, Natalis Domini, Circuncisionis, Epiphaniæ, Beati Blasij Martyris, Purificationis Beatæ Virginis, Annunciationis eiusdem, Resurrectionis Domini, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, Sancti Ioannis Baptistæ, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, Beatæ Mariæ Magdalenæ, Assumptionis Beatæ Virginis, Natiuitatis eiusdem Omnium Sanctorum, Beati Clemẽtis Martyris, Annunciationis Dominicæ, quæ celebratur per octo dies ante Natiuitatem Domini

dictum

dictum caput extrahatur dum celebrantur diuina ad altare, vel ad processionem, & dictum pluuiale ad vesperas, matutinum, et processionem per Conchen. vel per quemcunque alium Episcopum, qui ibi celebret, vel absente Episcopo in processione tantùm per illum qui celebrabit Missam maiorem, et volo quod pro dicto capite fiat, vel pes planus, vel duo Angeli quibus decenter sustentetur ponderis xx. marcharum argenti deaurati: et volo quod si per Decanum, et Capitulum, vel per Episcopum fiat aliquid contra conditiones supradictas, videlicet, alienando, vel impignorando, vel trahendo de Ecclesia iuxta ciuitatem aliquid de iocalibus supradictis, vel vtendo alijs diebus, fratres mei prædicti, vel hæredes eorum, aut quicunque ex ipsis, & descendentibus ab eisdem posint reuocare, & sibi habere prædicta iocalia, & omnes possessiones, quas supra lego eidẽ Capitulo.

Item volo, quod restituantur eidẽ Capitulo Conchensis Ecclesiæ Biblia manualis, & Thomas super Lucam, & Ioannem, quos ab eis habui, & tenebam ad vitam.

Item lego Ecclesiæ Toletanæ imagines Beatorum Eugenij, & Ildephonsi ad vsum altarium Sancti Saluatoris, & Beatæ Mariæ intra chorum.

Item volo, & ordino quod Archiepiscopo Toletano assignetur mitra vocata de camaffeis, quam habeo, quæ est Ecclesiæ Toletanæ cum omni melioramento facto per me de margaritis, lapidibus, & alijs.

Item volo, & ordino, quod restituantur eidem Archiepiscopo Toletano pluuiale, & casula, seu planeta de Ximero albi coloris, cum pulcherrimis aurifrisijs de margaritis, & auro.

Item chirothecæ cum Perlis, & smaltis antiquis. Item duo Annuli Pontificales vnus cum vno camaffeo satis pulchro, cum multis smaragdis paruis in circuitu, & alio cum vno saphiro in medio, vbi est quædam imago sculpta, & in circunferentia sunt aliqui lapides, & margaritæ, quia sua sunt, & habui solum vsum ad vitam à Domino Gundisaluo prædecessore meo.

Item lego eidem Archiepiscopo Toletano pro capella sua duo paria Baccilium de argento, alterum deauratum, quod mihi dedit Dominus Ioannes Archiepiscopus Mediolanen. & istud par lego sibi loco duorum baccilium, etiam deauratorum, quæ habui de capella sua, quorum vnum fuit mihi furatum in

Regno Castellæ, dum eram Archiepiscopus, alterum remanet inter bona mea, aliud par sit album, cum smaltis in medio, & orla deaurata, ponderis duodecim marcharum, quod sibi lego loco duorum aliorum bacilium de argento albo, quæ inueni in capella sua, & dicebantur empta per D. Guterium, quæ nunc non inueniuntur in bonis meis, quia fortè fuerunt mutata in aliam formam.

Item volo, & ordino, quod restituantur eidem Archiepiscopo Toletano omnes libri, in quibus inuenietur scriptum in postis, vel in cartis, vel in principio, vel in fine, quod sunt Ecclesiæ Toletanæ. Item volo, & ordino, quod idem fiat Ecclesijs Tarraconensi, & Cæsaraugustanæ de libris, quos legauit eis bonæ memoriæ D. Eximius Archiepiscopus Toletanus.

Item est sciendum, quod ego olim emi à claræ memoriæ Domino Alphonso Rege Castellæ, & Legionis illustre Castrum de Paracuellos, Toletanæ Diœc. pro centum vigintiquatuor millium Marapetinorum monetæ Regni Castellæ quantitate, quod quidem Castrum fuit Ordinis militiæ S. Iacobi, & ideò Castrum prædictum, & omne ius, quod mihi competit in eo, seu dictam centum vigintiquatuor millium Marapetinorum quantitatem. Si fortè Rex Castellæ vellet ipsum Castrum pro se retinere, vel dictus Ordo recuperare, & prædictam Marapetinorum quantitatem soluere, lego Decano, & Capitulo dictæ Ecclesiæ Toletanæ, ita tamen, quod idem Decanus, & Capitulum postquam prædictum Castrum, seu pecuniam recuperauerint, teneantur de redditibus suis, quos habent in Villa de Briocha, Toletanæ Diœcesi. & eius Territorio, dare, & soluere singulis annis Priori, & Conuentui Monasterij S. Blasij de Villa Deliciosa duo mille Marapetinos monetæ illarum partium: mille videlicet, pro reparatione domorum, & mille pro vestuario Canonicorum ipsius Monasterij; & in casu, quo dicti Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Toletanæ pro Castro, seu quantitate, centum viginti quatuor milliũ Marapetinorum prędictorũ, nollent prędicta duo millia Marapetinorum præfatis Priori, & Conuentui S. Blasij annis singulis dare, & assignare, lego prædictum Castrum de Paracuellos, & omne ius, quod mihi competit in eodem, siue prædictam centum vigintiquatuor millium quantitatem Marapetinorum præfatis Priori, & Conuentui Monasterij S. Blasij de Villa Deliciosa pro prædictis.

Item ordino, & mando, quod Imago Beatæ Virginis Mariæ, quæ est in Capella mea, quæ est ponderis triginta marcarum, detur Conuentui Beati Francisci de Assisio, & tria tapeta maiora mea, videlicet illud, quod fuit emptum in Ancona pro sexaginta ducatis; & illud, quod fuit Domini Albertach j, & alterum de duobus maioribus ad arma mea.

Item lego eidem conuentui pro fabrica Ecclesiæ, & conuentus mille Florenos.

Item lego Ecclesiæ Sabinensi, vbi magis vtile, & necessarium fuerit, iuxta arbitrium, & dispositionem executorum meorum, quingentos Florenos.

Item mando, & ordino, quod redditus, & fructus percepti, & debiti à sex annis citra, de Ecclesia Sancti Clementis in Vrbe, Tituli mei, expendantur in reparatione dictæ Ecclesiæ, iuxta dispositionem executorum meorum.

Item volo, & ordino, quod in Ecclesia Cathedrali Ancon. in loco, quem Episcopus ipsius Ecclesiæ cum suo Capitulo, & executores anni præsentis elegerint, construatur vna Capella in honorem prædicti Beati Clementis Martyris.

Item lego Fratribus Prædicatoribus de Ancona pro fabrica Ecclesiæ suæ centum Florenos.

Item lego Fratribus Heremitis de Ancona centum Florenos.

Item lego Fratribus Minoribus de Ancona pro complemento Refectorij, & Capituli sui Monasterij ducentos Florenos.

Item mando, & ordino, quod ordinentur, & dotentur duæ Capellanię perpetuę in Ecclesia Beatę Marię Magdalenæ, & Sancti Cataldi, quæ est intra Rocham Papalem Anconæ, & emantur possessiones sufficientes pro duobus Capellanis, itaquod quilibet eorum habeat ad minus triginta Florenos annuatim, & celebrent quotidie in dicta Capella. Præsentatio autem prædictarum Capellaniarum pertineat ad Thesaurarium Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, & Castellanum dictæ Rochæ, qui pro tempore fuerint: Institutio autem pertineat ad supradictum Episcopum Anconitanum.

Item volo, & ordino, quod nullus dictorum Capellanorum possit habere aliquod beneficium in Ciuitate Anconæ, nec etiam extra, si requirat residentiam, & si receperit, vel habuerit aliquod

quod

quod tale beneficium, ipso facto vacet dicta Capellania, & de ea disponatur per præsentationem, & institutionem, vt prædictum est.

Item lego omnibus Capellanis socijs meis, qui fuerunt mecum in Italia, & interfuerint sepulturæ meæ, cuilibet centum Florenus, & Domicellis cuilibet sexaginta Florenos. Clericis verò de capella, & alijs de raubis Clericorum, cuilibet quinquaginta Florenos; alijs Officialibus, & Parafrenarijs deputatis ad seruitium meum immediatè, illis videlicet de raubis Officialium cuilibet triginta, & de illis raubis Gattionum cuilibet quindecim Florenos aureos.

Item lego Fratri Didaco socio prædicti Episcopi Firmani quinquaginta Florenos.

Item lego, & ordino, quod omnibus Prælatis, & alijs Capellanis socijs meis, & familiaribus, qui tempore obitus mei mecum erunt, & corpus meum associauerint vsque ad sepulturam, & post nouem dies, fiant expensæ decentes, sicut est consuetum in Tinello meo.

Item volo, quod in vestibus familiæ, cera, drappis aureis, & alijs, non fiat excessus, nisi sicut est consuetum alijs Cardinalibus in Auinione.

Item volo, quod à die obitus mei, vsque ad diem sepulturæ, & nouem dies sequentes, secundum dispositionem executorum meorum, qui fuerint pręsentes, videlicet in locis, quod pro quolibet die pascantur, & induantur panno grosso de lana, vel lineo duo millia pauperum.

Item vltra prædictos sexaginta Florenos aureos legatos cuilibet Domicello, lego Ferdinando Sanctij de Moia Cubiculario meo, vnum ex Equis meis, quem elegerit, & octingentos Florenos aureos pro matrimonio suo, si contingat eum accipere vxorem in Italia: Si autem contingat eum ire ad partes, & ibi recipere vxorem, lego sibi tantum quadraginta Florenos, & domum de Taracena Aldea de Huete, cum hæreditatibus, vineis, molendinis, ortis, pratis, pascuis, et alijs terris cultis, et incultis, et cum alijs omnibus possessionibus, et bonis mobilibus, quæ ibi habeo, et habere debeo, sicut in eis successi patri, et matri meis.

Item lego vltra prædictos sexaginta Florenos Garsiæ Fernan-

nan-

nandi de Beluiso quadraginta Florenos aureos, & domum meam de Belmonte, cum hæreditatibus meis, ortis, molendinis, pratis, pasculis, & alijs terris cultis, & cum alijs omnibus possessionibus, & bonis mobilibus, & immobilibus, quæ ibi habeo, & habere debeo, sicut in eis successi patri, & matri meis.

Item lego vltra prædictos sexaginta Florenos Gundissaluo Roderici de Cisneros tercentos Florenos.

Item lego vltra prædictos sexaginta Florenos Nunio Fernandi de Funes trecentos Florenos.

Item lego prædicto Domino Aluaro Garsiæ fratri meo pro filiabus suis maritandis sex millia Florenos.

Item lego Catherinæ nepti meæ filiæ prædicti D. Fernandi Gometij Commendatoris Montis Albani fratris mei pro matrimonio quinque millia Florenos, & rogo præfatum Reuerendum Patrem Dominum Lupum Archiepiscopũ Cæsaraugustanum, quod ipse assumat istud onus de maritando eam, sicut ibi visum fuerit; & quod de pecunia per eum mihi debita, soluat prædicta quinque millia Florenos; & si (quod absit) antequam virum recipiat, contingat eam mori, vel quoquomodo non ducere virum cum effectu, volo quod dictum legatum quinq. millia Florenorum redire debeat ad vniuersalem heredem meum infrascriptum.

Item lego Gometio Garsiæ militi, nepoti meo, nato præfati Domini Aluari Garsiæ Aldeas infrascriptas, videlicet, el Foio de Concha, Cañizares Vnnan el aldehuela, e Valdemeca cum omnibus vasallis, & iurisdictionibus suis, cum pascuis omnibus, fluuijs, lacunis, molendinis, venationibus, pratis, vineis, ortis, & omnibus alijs possessionibus, & bonis mobilibus, & immobilibus, tàm cum illis, in quibus successi patri, & matri meis, quàm cum alijs, quæ in prædictis locis, & terminis suis emi, vel melioraui.

Item lego prædicto Gometio Garsiæ domum de la dehesa, & domum de Viuera. Item domum de Ballesteros. Item domum de Villar de Olalla. Item domum de Olmeda propè Valeram cum Alcolea, & Villar di telas. Item domum de Valera de suso, cum Nogueron. Item domum de Valera de yuso. Item domum de Mezquitas. Item domum de laparrilla, cum omnibus domibus, & hæredititabus, vineis, molendinis, ortis, pratis, & pa-

scuis,

ſcuis, ac alijs terris cultis, & incultis, & cum alijs poſſeſsionibus, et bonis mobilibus, et immobilibus, quæ in eiſdem locis, et terminis ſuis habeo, et habere debeo.

Item lego eidem Gometio Garſiæ Vallenſallobre cum ſuis paſcuis, et ſalinis.

Item lacunas de Palomera cum pertinentijs ſuis, ſicut ego habebam.

Item lego Aluaro nepoti meo, filio prædicti Domini Aluari Garſiæ omnia illa, quæ ego habeo, et habui in Naharos, Xuartos, Buruanos in Valle Iudęorum, Aldeas de Huete, cum omnibus pertinentijs ſuis.

Item volo, et ordino, quod ſoluantur omnia debita, in quibus, ſecundum bonam veritatem, reperiatur me teneri, et de his plenariè ſatisfiat.

Item lego, et ordino, quod fiat ratio, ſecundum bonam veritatem, inter Camerā Romanam, et me: et ſi reperiatur, quod ego teneor Cameræ, volo quod eidem ſatisfiat de bonis meis; et ſi reperiatur, quod Camera teneatur mihi, illud in quo tenetur, aſsignetur executoribus meis infraſcriptis.

DE reſiduo autem bonorum meorum ordino, quod fiat in Ciuitate Bononienſi vnum Collegium Scholarium in loco decenti, ſcilicet propè Scholas, et conſtruatur decens hoſpitium, cum viridario, et aulis, et cameris, et conſtruatur ibi Cappella decens, et bona, ad honorem Beati Clementis Martyris, et emantur redditus ſufficientes ad prouiſionem viginti quatuor Scholarium, duorum Capellanorum pro illa burſa, et vita, de qua ordinabo; quam domum, ſeu Collegium volo domum Hiſpanicam nominari: et prædictum Collegium, vel Domum inſtituo vniuerſalem hęredem in omnibus pecunijs baxella, libris, tàm Iuris Canonici, quàm Ciuilis, et quarumcunq; aliarum facultatum, et omnibus alijs bonis meis, et aliàs quocunq; modo mihi debitis, tam per adminiſtratores, qui adminiſtrauerunt pro me Toletanam, et Segobieſem Eccleſias, et eorum hæredes, quàm per Regem Caſtellæ, et alios occupatores bonorum meorum patrimonialium, et reddituum omnium beneficiorum meorum, quæ habeo, et obtineo in Regnis Caſtellæ, et Legionis, quàm etiam per procuratores, qui ſunt, et fuerunt pro me in beneficijs meis Regnorum Caſtellæ, et Legionis

Fran-

Franciæ, & Portugalliæ, & Aragoniæ, ac alias vniuersaliter per quoscunque, excepto quod illud, quod debeatur mihi de Capello per executores meos infrascriptos mandetur distribui pauperibus Iesu Christi in Ciuitate Auinionis.

Item volo, & ordino, quod supradicti Fernandus Aluari Abbas Vallisoletti, & Alphonsus Fernandi Camerarius, singulariter habeant curam, & administrationem construendi Domum prędictam, seu Collegium, & Capellam, & emendi possessiones, & redditus pro victu dictorum vigintiquatuor Scholarium, & duorum Capellanorum, & ipsis mando, ac etiam rogo, quantum possum, quod post mortem meam remaneant Bononiæ ad minus per duos continuos annos, ad complendum prædicta, & lego eis pro expensis, & labore, vltra prædicta cuilibet sexcentos Florenos. Et ad omnia, & singula supradicta iuxta voluntatem, & ordinationes meas exequenda, Reuerendissimos in Christo Patres, & Dominos meos, Diuina prouidentia Nicolaum Episcopum Tusculan. & Petrum Apostolicæ Sedis Vicecancellarium, tunc sanctæ Anastasiæ Presbyterum ac Petrum sanctæ Mariæ nouæ Diaconum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, superius nominatos: & sub eis, & eorum mandato ad complendum ea, quæ hic in Italia sunt fienda, Venerabiles Patres Dominos Henricum Brixiensem, Alphonsum Firmanum Episcopos, & nobilem militem Dominum Gometium Garsiæ, Fernandum Aluari Abbatem Vallisoletti nepotes meos, & Alphonsum Fernandi Thesaurar. Toletanum, Camerarium meum supradictos, & sub eisdem etiam Dominis meis, Dominis Cardinalibus, ad complendum ea, quæ in Hispania sunt fienda, Reuerendos Patres, & Dominos Lupum Cæsaraugustanum, & Gometium Toletanum Archiepiscopos, prædictum Camerarium meum, ac Martinum Fernandi Decanum Conchensem, meos constituo, & facio executores, quibus do, & concedo plenam, & liberam potestatem exequendi, & complendi de bonis meis omnia, & singula supradicta in huiusmodi meo Testamento contenta. Et hanc assero, & esse volo meam vltimam voluntatem, quam iure Testamenti, seu Codicilli, vel cuiuslibet alterius vltimæ voluntatis volo perpetuò valituram.

Et reuoco, quodcunque aliud Testamentum, Codicillos, & vltimas voluntates quascunque per me hactenus conditas, factas,

ctas, seu ordinatas, sub quacunque forma, & expresione verborum, etiam si in eis, vel earum aliqua fuerit clausula derogatoria inserta, quam in præsenti volo pro expressa haberi, & specialiter nominata, & eis, seu ei, ex certa scientia per præsens Testamentum, seu vltimam voluntatem pœnitus derogo, & pro abolitis, & non insertis haberi volo Requirens, ac rogans Notarium publicum infrascriptum, vt de præmissis omnibus, & singulis conficiat vnum, duo, tria, & plura, & tot, quot expedierit, publica Instrumenta. Ipsaquè mandauit, & voluit sui Sigilli appensione muniri, quæ fuerunt acta in Rocha Papali, aliàs Sancti Cataldi Ciuitatis Anconæ, in Camera secreta superiori dicti Domini Legati. Anno, Indictione, Die, Mense, & Pontificatu prædictis, præsentibus Reuerendis in Christo Patribus Dominis Henrico Brixiensis, & Alphonso Firmanæ Ecclesiarum Episcopis, & Ioanne de Marmanno Abbate Sanctæ Mariæ de Sitria, Nurcemensis Diœcesi. necnon venerabilibus viris Domino Ioanne de Senis, in Iure Ciuili Licentiato, & Alphonso Fernandi Thesaurario Ecclesiæ Toletanæ, & Petro Alphonsi Archidiacono de Calatraua in ipsa Ecclesia Toletana, ac Sanctio Sanctij Canonico Sagobiensi, Testibus ad præmissa vocatis, specialiter, et rogatis.

ET Ego Fernandus Gometij de Pastrana Clericus Toletanensis Diœces. publicus Apostolicus, & Imperiali auctoritate Notarius, prædictis omnibus, & singulis dum sic, vt præmittitur per præfatum Reuerendissimum Patrem Dominum, D. Ægidium Cardinalem fierant, & agerentur vna cum prænominatis Testibus præsens fui, eaq; omnia, & singula propria manu fideliter scripsi, & publicaui, signoque meo solito signaui. Rogatus, & requisitus in testimonium præmissorum.

Et Ego Henricus Episcopus Brixiensis testis suprascriptus in testimonium præmißorum propria manu me subscripsi.

Et Ego Alphonsus Episcopus Firmanus testis supradictus me propria manu subscripsi in fidem præmissorum.

Et Ego Ioannes Senensis præfatus manu propria me subscripsi in testimonium præmissornm.

Et Ego Ioannes Abbas Sanctæ Mariæ de Sitria, testis prædictus propria manu me subscripsi in testimonium præmissorum.

Et

Et Ego Alphonsus Fernandi Thesaurarius Toletan. prædicti Domini Legati Camerarius testis supradictus propria manu me subscripsi in testimonium præmissorum.

Et Ego Petrus Alphonsi, Archidiaconus de Calatraua, testis suprascriptus propria manu me subscripsi in testimonium præmissorum.

Et Ego Sanctius Sanctij Canonicus Segobiensis testis prædictus me in testimonium prædictorum propria manu subscripsi.

Deo gratias.

IMPRESSVM BONONIÆ
Typis Iacobi Montij,
Expensis Collegij maioris Hispanorum.
Rectore Illustriss. D. D. Feliciano Molinos, & Buesso Aragonensi
I. V. D. Decretalium Interprete
Anno MDCLXIII.
Sedente ALEXANDRO VII. Pont. Max.
Et Regnante PHILIPPO IIII. Inuictissimo
Rege Hispaniarum.

SI te Diui Ægidij nostri oblectat Lectio Testamenti, Amicissime Lector, sola inspectatione deprehēdes diuini hominis omnibus virtutibus, liberalitate, & munificentia præcipuè illustratum exemplar. Vnum tamen, quod facile quisque sapientissimus ignorare posset, quodq; ad intelligentiam eulogij maximè necessarium est, prætereundum non duxi. Quid scilicet pro verbo illo, Marapetinus, toties in hac solemni vltima voluntate repetitò intelligendum sit. Scito igitur Marapetinus vulgare Hispanorum, inter quos præsens Testamentum conditum patet, fore nomen monetæ argenteæ illo tempore valoris vnius Carleni, aut parum plus. Cætera per te habebis.